

A S I A.

A S I A diuiditur ab Europa Tanai fluuio, & linea ab eius fontibus tracta ad Granduicum Oceani Septentrionalis Sinum: ab Africa verò, isthmo, qui est inter mare Mediterraneum & Sinum Arabicum: cetera Oceanus & Maria ambiunt. Hanc veteres multifariam diuisere: hodie verò eam in quinque partes, secundum eius Imperia quibus administratur, nobis non ineptè diuidi posse videtur. Cuius prima pars, quæ Europæ contigua est, & Magno Duci Moscouiæ paret, Mari Glaciali, Obij fluuio, Kytaiia lacu, & linea inde ducta ad Caspium mare, isthmòq; qui inter hoc Mare & Pontum Euxinum est, terminabitur. Secunda erit, quæ Magno Chamo Tartarorum Imperatori obedit; cuius fines à Meridie, sunt Mare Caspium, Iaxartes fluuius, Imaus mons; ab Ortù & Septentrione Oceanus: ab Occidente, iam dictum Ducis Moscouiæ Regnum. Tertiam partem Ottomānorum profapia occupat, continetque quicquid terrarum est intra Pontum Euxinum, Mare Ægæum, (nunc Archipelagus dictum) Mediterraneumque, Ægyptum, Sinum Arabicum, Persicumque, Tigri fluuio, Mari Caspio, & Isthmo, qui inter hoc, & Pontum Euxinum videre est. Sub quarta Regnum Persiæ, quod hodie à Sophis gubernatur, compræhendetur; habet Ottomannos (quibuscum continuum ferè bellum gerit) ab Occidente; Magni Chami Regnum à Septentrione; & in Orientem ferè ad Indum fluuium extenditur: à Meridie verò mari, quod hodie Indicum, olim Rubrum appellabatur, alluitur. Quinta pars ceterum obtinebit, quod Indias nunc, vti & olim, nuncupant, quæ non ab vno solo, vt aliæ, sed pluribus Regulis (nam quælibet illius Regio proprium ferè habet Principem, quorum nonnulli etiam Magno Chamo vectigales sunt) moderatur. Sed neque hoc prætereundum, quòd loca maritima quæ sunt à Sinu Arabico ad Promontorium vsque vulgò Cabo de Lampo dictum, (quod vides ad 30. gradum latitudinis Borealis) ferè omnia Lusitanus possidet, aut sibi tributaria fecit. Hanc Asiam Strabo sex, ab vndecimo incipiendo, libris persequitur. Ptolemæus eam tribus, quinto, sexto & septimo, libris descripsit; item duodecim tabulis; tribuitque illi quadraginta Prouincias. Ex neotericis nemo eam in vniuersum singulatim descripsit. M. Paulus Venetus, Ludouicus Vartomannus, & Ioannes Mandeuilius (sed fabulis refertus hic) tantum de ea, quantum eius regionibus perlustrando dignum scitu cognouerunt, literis mandarunt. Vide etiam Iacobi Nauarchæ Iesuitæ epistolam. Nos quoque eius descriptionem in maiori Tabula ante tres Annos edidimus.



ASIAE NOVA
DESCRIPTIO



INSV.
 LA S.
 LAVRENTII

S. Apol.
 loma.
 Ya de Don gal.
 pes.

Dos Compagnos.
 Poucada

MERIDIES.

TER.
 ENCOG.
 AVSTR.
 ALIS.PARS.

